Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite
Quelle:
Copyright:

LECTORI.

Posteaquam Petrus Lambecius, Vir Europae literatae notior, quam ut meo quidem opus habeat elogio, de Bibliotheca nostrate Palatina Libris VIII. ab anno MDCLXV. ad annum MDCLXXIX. in lucem publicam emissis commentatus fuisset, jamque doctos Homines hujus Operis Exemplaria deficerent, Adamus Franc. Kollarius Vir Cl. novis illud formis Trattnerianis ab anno MDCCLXVI. ad annum MDCCLXXII. non repraesentavit modo, sed Librum insuper IX. ab Lambecio olim coeptum, a se vero absolutum morte destituit, qui meis demum curis anno MDCCXC. e Scriniis prolatus jam in Eruditorum manibus versatur.

Eram videlicet interea, atque adeo sub anni MDCCLXXXIV. finem a D. Josepho II. Bibliothecae suae Custodibus additus, benevolo Ill. Godefridi Baronis Swieteni dictae Bibliothecae Praefecti, Fautorisque mei literatissimi studio, jussusque, cum Graeca paene finem spectarent, recensendis Codicibus Latinis, aliarumque Occidentis linguarum, et primum Theologicis, calamum admovere. Qua fortuna, quove operae pretio, ex iis, quae nunc in publicum effero, dispicient Eruditi, quibus hic in vestibulo, quo animo ad universam tractationem accesserim, quid intuitus, quid secutus sim, paucis edisseram.